

Hac tam fausta die.

Contributors

Trinity College (Dublin, Ireland)
Simon, Sir John, 1816-1904
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

[Dublin] : [publisher not identified], [1887]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jkydq52w>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>


(25.)

Hac tam fausta die, viros multos dignitate ac meritis insignes a Praeposito et Septemviris selectos, a Senatu Academico comprobatos, a te nunc admittendos, tibi, Vice-Cancellarie, totique Universitati, in hoc tam frequenti conventu, nunc praesento.

Praesento tibi imprimis popularem nostrum CAROLUM STEWART VANE-TEMPEST. De eo non est illud inquirendum,


Quis novus hic nostris successit aedibus hospes?

Adeo est Hibernus ut inter Hibernos nemo sit illo Hibernior. Avi ejus quid facta apud vos commemorem? Napoleonicis illis bellis maximâ cum gloria interfuit. Eum legatum fortem ac fidum cognoverunt nominis Hiberni principes, Moira, Moore, Wellingtonus ipse. In proelio illo periculoso apud Fuentes d'Onoro, honoris fontes ore pleno hausit; quis fuerit in rebus periculosus Albuera testis; qualis et quantus in belli discriminibus, El Bodon. Nec minus in re diplomatica quam in re bellica illustris evasit. Inter Europae liberatores strenuus libertatis vindex fuit. Tali avo prognatus honoribus avitis cumulum adstruxit nepos. Reginae dilectae regali vice fungitur, dilectus et ipse. Tali est mansuetudine, comitate, munificentia, ut inter discordias civiles quae nuper exarserunt et adhuc ardent, nulli sit invisus, omnibus bonis sit carissimus.



Praesento tibi, Vice-Cancellarie, Principis nostri filium, Reginae nostrae nepotem, Regem nostrum, si Deo placuerit, futurum. Praesento tibi ALBERTUM VICTOREM CHRISTIANUM EDUARDUM, Gualliae florem, Insularum spem. In nominibus tam claris est boni augurium. Sis memor, illustrissime Princeps, Eduardorum illorum qui Angliae hodiernae, qui Britanniae consociatae, qui Regni tergemini, fundamenta iecerunt ! Sis Alberto illo magno et bono dignus ! In re publica tractanda Victoriae sis semper memor ! Sis Victor ! Sis Christianus ! Nec vota vestra, Academici, irrita evadent. Non luxuriae non desidia se dedit Princeps. Rei navalis, rei militaris studiosum se praestitit. Imperium quod Sol nunquam adspicere disinit cum sole peragravit : colonias visit ; maiorem illam Britanniam adiit ; quale et quantum sit imperium agnovit. Hujus patrem illustrissimum in Albo nostro adscripsimus, hunc quoque hodie adscribendum salutamus.

Praesento, tibi Vice-Cancellarie virum honoribus iamdudum cumulatam GEORGIUM GUILIELMUM BRAMWELL. Ille non aurâ populari, non principum favore, ad summas opes emersit. Omnia sua sibi ipsi debet. Olim domus ejus, ut decet esse Iurisperiti, oraculum fuit civitatis. In Iudicis sellam ingenio suo evectus iuris ac iustitiae principia e rerum confusione semper eliciebat. In domum proceram translatus, juris prudentiae numquam immemor se rebus publicis immiscuit. Et quanto vigore, quanta ingenii vi ! quantâ Erga Hiberniam benevolentia !




Praesento vobis Praehonorabilem MICHAELAM MORRIS, virum fortem, providum, sagacem, facetum, et quod inter virtutes Pompeii illius Magni Cicero adnumerat, felicem. Adolescens, in hoc Collegio Moderator Senior—adhuc iuvenis, Senator, Coronae Procurator, Judex—matura aetate communium Placitorum Iusticiarius capitalis, nunc Iusticiarius capitalis totius Hiberniae, hujus Collegii denique Visitator—hodie purpura nostra indutus adest.

Praesento tibi, Vice-Cancellarie, virum e coloniis advenam, non peregrinum—hospitem non hostem—PATRICIUM ALFREDUM JENNINGS. Hujus praeomen nos admonet eum esse Hibernum. Hiberniam tamen, ut multi alii adolescens reliquit, et quod domi deerat foris invenit. Colonias petiit—opes, dignitatem, potestatem, omnia bona sibi in Australia acquisivit. In Australia hominem eum esse primarium omnes confitentur. In patria nova, veteris patriae non oblitus. Cum iis qui tum rebus praerant—

Bella geri placuit nullos habitura triumphos,


ille, auspiciis suis, suis fere impensis legionem illam Australiensem quae Australensem benevolentiam erga nos demonstravit in Africam emisit. Hunc alumnum suum Alma Mater salutat et ille, ut scio, erga eam amorem fovebit sempeternam.



Praesento tibi, Vice-Cancellarie, Theologiae apud Oxonienses Professore famâ illustrem GUILFELMUM SANDAY. Huius viri laudes apud vos celebrare melius potuisset Regius Theologiae Professor, quem Iurisperito mero de rebus theologicis verba facienti irridentem video. Risum illum intellego; sed intellegat ipse Iurisprudentiam, ut eam definiunt Institutiones in quibus exponendis quotidie versor, divinarum atque humanarum rerum esse scientiam. Iure ergo iurista merus Theologum utriusque iuris purpura indutum inter iuristas admittendum, sibi praesento.

Eadem sub formula tibi praesento JOHANNEM CUNNINGHAM, Theologum, Metaphysicum, Historicum, Poetam, Ecclesiae Scotae Moderatorem. Doctorem Theologiae apud Edinenses, Doctorem Legum apud Glascuenses, hunc quoque salutamus in utroque Iure Doctorem apud nos.


Praesento vobis AUBREY DE VERE, Poetam suavem suavi Poeta natum. Huic, ut olim Platoni, in cunis parvulo dormienti apes in labellis consederunt, suavitatis augurium. Propter poetica eius mella ipse nobis melli est. Hunc tibi praesento inter Doctoris nostros, honoris causa, admittendum.



Praehonorabilis Vice-Cancellarie totaque Universi-
tas, factum est iam tritum sermone proverbium, tres
esse Gratias subfuscas, Theologiam, Iurisprudentim,
Medicinam. Medicinae merita, vobis nunc agnos-
cenda. Adduco igitur Medicinae apud Glascuenses
Professorem GUILFELMUM TENANT GAIRDNER. Febris
fanum, ut memoriae tradidit Cicero, in Palatio quon-
dam stetit—inter colles Glascuenses nunc simile stat
fanum. Hospes noster, quem nunc salutamus, eius est
Antistes et quod mirum, lacte non vino numen illud
detestatum se placavisse gloriatur.

Tibi Vice-Cancellarie praesento, medicorum elo-
quentissimum, Chirurgiae inter hodiernos Magistrum
ac principem, IACOBUM PAGET. Doctorem Civilis
Legis apud Oxonienses, Doctorem utriusque Iuris
apud Edinenses, Doctorem Scientiae apud Germanos,
hunc Medicinae Doctorem apud Dublinenses salvere
iubemus.

Adduco ad vos THOMAM SPENCER WELLS, virum
illustrem, cuius gloriae participes nos esse gloriamur.
Verulamii natus hanc Academiam, ut Almam Matrem
suam, elegit; in schola nostra Anatomica studiosus
erat. Hunc reducem omni laude cumulatam videntes
laetamur. Illum, propter egregia sua merita erga
humanum genus, inter equites auratos adscivit Regina
grata. Illum talia propter merita Reginae exem-
plum, haud passibus aequis sequentes purpura nostra
decoramus.



+ Ut deduxit Socrates philosophiam de caelo, sic in vulgum deduxit Medicinam vir ille quem tibi nunc praesento, JOHANNES SIMON—uir strenuus qui secum reputans mentem sanam a sano corpore non esse dissociandam, hoc sibi quasi tesseram habuit—Sanitatum Sanitas.

Quum viri adhuc praesentati factis suis artem suam illustraverunt, hic quem nunc praesento EDUARDUS WATERS continuationi ordinis sui, et rei publicae necessitatibus futuris consuluit. Ut educatio ac disciplina in Scholis Medicinae essent aptae, ut nemo non idoneus ad artem Medicinae tractandam accederet, legibus ille optimis providit. Hic numismate Societatis Medicalis aureo donatus est; hic purpurâ nostra adest ornandus.

Quid restat? Sorte quadem felici accidit ut Choralis Societatis nostrae quinquagesimus annus anno Regni quinquagesimo congruat. Duplicem ergo Jubilaeum celebramus et, quod bonum faustumque sit, Tres Musici Trium Academiarum deliciae existunt, Treviri rebus Musicis constituendis in Jubilatione nostra. Abest quem Musae adamant, Musicae Professor Cantabrigiensis, Thamyras ille, quem Musae nec

αἰδοῦν

θεσπεσίην ἀφέλονται, οὐδ' ἐκλείλαθον κιθαριστύν.

Adest quoque Professor Edinensis Orpheus redi-
vividus. Et ut

Saxa ferasque lyrâ movit Rhodopeius Orpheus

sic illa Musicâ illa nova cui se devovit, Scotorum pec-
tora dura delenivit.

Adest Professor Oxoniensis qui Mozarti aemulus,
octo annos natus annorum pulcherrimam Operam com-
posuit, et Musicae adolescens se dicavit.

Absentem, si licet, praesento tibi, Vice-Cancellarie,
GEORGIUM ALEXANDRUM MACFARREN, Professore
Musicae apud Cantabrigiensis.

Praesento tibi HERBERTUM OAKELEY, Professore
Musicae apud Edinenses.

Praesento tibi FREDERICUM ARTURUM GORE
OUSELEY, Professore Musicae apud Oxoniensis.

